



UNIVERSITÄTS-
BIBLIOTHEK
PADERBORN

Universitätsbibliothek Paderborn

**D. Haymo-//nis Episcopi Hal-//berstattensis, De Varietate//
librorum, siue de Amore cœlestis// patriæ libri. III. ...**

Haimo <Halberstadensis>

Coloniae, 1531

VD16 H 231

LII Qualiter viuere debeant qui Christu[s] imitari desidera[n]t.

urn:nbn:de:hbz:466:1-29814

LIBER SECVNDVS.

carnis sequēdum faciendumq; suggesterit, iusticie ca-
pti delectatione contemnunt.

Qualiter viuere dedeāt, qui Christū imi-
tari desioerant. Caput LII.

ET ideo si in illo esse volumus, quod esse debe-
mus (sicut S. Ioannes apost. dicit) quō ille am-
bulauit & nos spiritaliter ambulemus. Quid 1. Ioan. 2.
est ambulare sicut ille ambulauit, nisi cōtemnere oīa
prospera, q̄ cōtempserit, non timere aduersa quæ ptu-
lit, libenter facere q̄ fecit fieri, docere q̄ mandauit, spe-
rare quæ p̄misit, sequi q̄ ipse p̄cessit p̄stare benefi-
cia etiā ingratiss. Non retribuere secundū merita sua
maleuolis, & orare pro inimicis, amare bonos, mise-
reri p̄uersis, inuitare aduersos, suscipere in charitate cō-
uersos, & æquanimiter pati subdolos ac superbos.
Ad hoc etiā pertinet q̄d ait apost. Pau. Si cōsurrexistis
cum Christo, ea q̄ sursum sunt quærite, vbi Ch̄s est
ad dexterā dei sedens. Illi resurgūt cum Ch̄o, q̄ mo-
riūtur, sicut ille, peccato, & t̄n distinctiōe seruata, q̄d
ille mortuus est p̄ctō, non suo sed nostro. Vnusquis
que aut nostrū nō omniū moriū p̄ctō, sed suo. Quid
est p̄ctō mori, nisi damnandis opibus oīno non vi-
uere? Nihil cōcupiscere carnaliter, nihil ambire, vt sic
mortuus carne nulli iam detrahit, nullū auersat aut
despicit, nullius pudicitia callida circūuentione cor-
rumpit, nemini violentus existit, neminē calūniatur
aut opprimit, nō inuidet bonis, aut insultat afflictis.
Non luxuriæ carnis inseruit, non vinolentiæ dedit
in se bibendi sitim bibendo magis ac magis accedit.

HAY. DE VARIET. LIB

Non odiorum fascibus inardescit, non cōpendia iniusta sectatur, non potentibus ac diuitibus adulatur, non inquieta curiositate raptatur, non domesticæ sollicitudinis cura distenditur, non officiosis occurrentium salutationibus delectatur, nec superborum iniurijs fatigatus, non eum superbia inflat, non ambitio ventosa precipitat, non vana gloria turpiter iactat, non desiderium gloriosæ opinionis inflamat, non distinctio alieni actus illaquiatur, non ad societatem turpitudinis amor inuitat, non rabies immani furoris exagitat, non sumptuosæ deliciarum studium macerat, non ardor animosæ cōtentionis axaminat. Non facit impudentem audacia, iniquum iniustitia, ferum in dementia, variū incōstantia, pertinacem cōtumacia, insanum vesania, delitiosum gula, rebellē inobedientia, vanū iactantia, infidelē perfidia, lenem felicitas, sæuū crudelitas, māduconem turpem edacitas, impatientem mobilitas, mobilem instabilitas, vagū spiritualis infirmitas, iracundū animositas, suspitiosum puerfitas, verbum vanitas, irrisorem malignitas. Qui remotus est à secularibus prorsus illecebris, remotus ab inimicitijs, remotus ab insidijs alienis, remotus à rapinis vel occultioribus vel apertis, remotus à mendacijs siue periurijs, postremo remotus ab omni genere flagitiorum siue facinoræ, quibus carnaliter viuētes deum offendunt, & mortui, pētō non seruiunt. Sicut in quā carne mortuus nec facere potest ista quæ dixi, nec pati, ita his & talibus vitijs omnino non viuūt, qui vt viuāt deo, carnem suam cum vitijs & cōcupiscētijs crucifigūt.

De Actiua vita. Cap. LIII,